



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Cvnibertvs Episc. 12. Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

inter beatarum mentium plausus cantusque ad se evocare. Conditionis tamen suæ memor non nisi cineri incubans mori voluit. At ex hoc cinere suus cœlo Phoenix prodiit. *Ex Sulp.*

S. CVNIBERTVS EPISC.

12. No vembris.

UTrumque CVNIBERTVS, & qui adolescens rapere in se oculos possit, & quid amare oculi in adolescente debeant, docebit. Nam si è pulchro corpore gratior venit virtus, gratissima è CVNEBERTO venerit necesse est, adolescentulo in quo & forma rara, & indoles elegans & mores suavissimi certamen de palmâ videntur suscepisse. Me quidem iudice his omnibus imperavit ultima in generoso adolescente animi demissio, quâ nobilissimus æqualium suorum flosculus ad infima etiam obsequiâ descendere non erubuit, neque jam aut calceos purgare, aut purgatos inducere aliis abhorruit. Talis facillè Regis Dagoberti (cujus inter Ephebos agebat) oculos cepit, tunc præsertim, cum dormienti cælum inuolatâ luce advigilare perspexit. Nam post hoc ipsorum Superum testimoni non potuit quin castissimè amplexatus dulcissimeque deosculatus CVNIBERTVM in filium Rex adoptaret. Sed ambivit nobiliore hæreditatè cæli

R 1 2 ca-

capax animulus, mundoque valere jussu, DEO & aris se addixit. Ab his ad Pontificatum Colonensem euectus est, bonis utique avibus, quando sacrificantis caput ambire candidissima è caelo columba visa est. Obiit cæli delicia & amor civium anno DCLXIII. & amare se vicissim hos mortuus ostendit, cum grassantem urbe ignem & jam D. Petri basilicam expugnantem prescit domuitque. Neque mirum hoc nobis videtur; majores & Veneris flammæ puer jam vicit. *Ex Surio.*

S. MAXELLENDIS V. M.

13. Novembris.

SVpra & sexum & ætatem MAXELLENDIS Cameracensis virguncula sapuit, crepundia rata, quidquid magnum orbis oculis ostentat, & generoso fastidio omnia terræ nauseans, uni caelo arridens. Quid, quòd necdum viro, sed caelo tamen matura se lubens volens huic despondit? Itaque sero nimis postea filiam in manus dare Haruino juveni nobili & prædiviti parentes constituerunt. Noctem enim illa pro consultatione cum petiisset, eique qui optima suaderet, Tutelaris Angelus intervenisset, in eam denique sententiam virgo animus ivit, ne detrimenti quidquam virginitas caperet, omnia & agere & pati, quin vitam potius